Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

PARABOLE SALOMONIS

238

Parabole Salomonis filii David regis Israel ad sciendam sapientiam et disciplinam ad intelligenda verba prudentie et suscipiendam eruditionem doctrine intelligentiam et iudicium et equitatem ut det parvulis astutiam et adolescenti scientiam et intellectum audiens sapiens sapientior erit et intelligens gubernacula possidebit ad intelligendam parabolam et interpretationem verba sapientium et enigmata eorum timor domini principium sapientie sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt audi fili mi disciplinam patris tui et ne dimittas legem matris tue ut addatur gratia capiti tuo et torques collo tuo fili mi si te lactaverint peccatores ne acquiescas eis si dixerint venite habeamus insidiemur sanguini abscondamus tendiculas adversus insontem frustra deglutiamus eum sicut infernus viventem et integrum qui descendunt in lacum omnem pretiosam invenietis implebimus domos nostras sortem mittite habebimus marsupium unum sit omnium nostrum fili mi ne ambules cum eis prohibe pedem tuum a semitis eorum pedes enim illorum ad malum currunt festinant ut effundant sanguinem frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur et molunt insidias animabus suis sic semite omnis avari animas possidentium rapiunt sapientia foris predicat in plateis dat vocem suam in capite turbarum clamitat in foribus portarum urbis profert verba sua dicens usquequo parvuli diligitis infantiam et stulti ea que sibi sunt noxia appetunt et imprudentes odibunt scientiam convertimini ad correptionem meam ecce proferam vobis spiritum meum et ostendam verba mea quia vocavi et renuistis extendi manum meam et non fuit qui aspiceret despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo cum vobis quod timebatis advenerit cum irruerit repentina calamitas et interitus sicut tempestas ingruerit cum venerit super vos tribulatio et angustia tunc invocabitis me et non exaudiam mane consurgent et non invenient me eo quod exosam habuerint disciplinam et timorem domini noluerint suscipere nec acquieverint consilio meo et detraxerint universe correptioni mee comedent igitur fructus viae suae suisque consiliis satiabuntur aversio parvulorum interficiet eos et prosperitas stultorum perdet illos qui autem me audierit absque timore requiescet et abundantia perfruetur malorum timore sublatum

Fili mi si suscepis sermones meos et mandata mea absconderis penes te ut auditat sapientiam aures tuas in disciplina cor tuum ad agnoscendam prudentiam si enim sapientiam invocaveris et inclinaveris cor tuum prudentie si inquisieris eam sicut pecuniam et sicut thesauros